



27

PARTITIONVM
Theologicarum
DISPVVTATIO XXVII,
De
NATVRA EC-
CLESIÆ,

In inclutâ & Florentissimâ Academiâ Witteber-
gensi proposita,

P R A E S I D E
M. IACOBO MARTINI
Professore publico:

Respondente
M. JOHANNE TRUBSBACHIO
Freibergensi

Ad diem 12. Octobris Horis locq;
confuetis

Sumtibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

A N N O 1611.

TERMINATA EST VITA MEA

Clarissimo atque Excellentissimo
viro,

DN. D. DANIELI THOR.
S C H M I D T, R E I P V B L. F R E I.
bergensis Medico Ordinario, Amitino
ac Patrono suo perpetuâ observantia
colendo:

NEC NON

Prudentissimo ac præstantissimo viro,

Dn. NICOLAO HORNIO.
eiusdem Reip. Senatori dignissimo:

Spectato item atque Integerrimo Viro,

Dn. CASPARO HORNIO.
Seniori, Civi ibidem primario.

Affinibus, Promotoribus ac Futoribus suis
plurimum honorandis

Theses hasce Theologicas

Gratitudinis & observantiae ergo
offerre debuit, voluit.

M. Iohannes Trubsbachius
Freibergensis.

TYPVS HVIVS DISPVTATIO. NIS.

Homo actionē divinā in se re- cipiens conside- ratim	τεωτως ut membrū Ecclesiae: ubi videnda,	1. Ipsa Eccle- sia: ubi exami- nanda.	2. Vox: ubi obser- vanda	Partim Etymologia: partim potestas & usus; qui continet diversas	Significationes, distinctiones.
			3. Res ipsa. Hic ar- gendum de Eccle- siae par- tim.	Natura que ex plicatur partim questio- ne	Ansata Quid sit: que expli- catur
II. Ecclesia exercitiae.	Δευτέρως, ut membrum Poliikes.	Requisita.	partim	Definitio- ne: quae partim	1. Proponitur. 2. resolvi- tur in
				Dicitur: que distinguitur in Ecclesiam	Genus & Diffe- rentia.
III. Ecclesia exercitiae.	Δευτέρως, ut membrum Poliikes.	Requisita.	partim	Epithetis: qua vel	Vocatorum, Electorum, Primaria, Secundaria.
				Notis	Teris notis.

2V



DISPVATATIO XXVII.

Quæ prima
De
ECCLESIA.

CONTINVATIO.

Versus Ersamur adhuc in statu Restaurati-
onis, ubi considerandū esse diximus :
primum Deum agentem : Et dein-
de Hominem actionem divinam in se
recipientem, suprà disput. 12. th. i. prius mem-
brum de Deo absolvimus : sequitur, ut de po-
steriore quoque paucis agamus.

Thesēs.

1. Homo actionem divinam in se recipiens consideratur περιττως ut membrum Ecclesiae: deuterōς, ut membrū politices.
2. Ibi videnda primum ipsa Ecclesia: deinde ejus exercitia.
3. In doctrina de Ecclesia vox examinanda; tūm ad rem ipsam procedendum est.
4. Vocis partim etymologia, partim potestas & usus est observandus.

s. Ety-

3. Etymologiam quod spectat, Ecclesiæ vox origine Græca est, παράγε ἐκκλησῖν quod est evocare. Quandoquidem ἐκκλησία Græcis dicebatur conventus civium, voce præconis ad audiendam sententiam senatus domo evocatorum; unde porrò ἐκκλησιάζειν apud Aristophonem, agere conventum: & ἐκκλησιαστήριον Vitruvij l. 7. c. 5 p. 276. hoc est, θεατρόδιον (Varr. l. 3. de re rust. c. 5.) vel theatrum minusculum, ubi spectandi gratiâ populus convenire solebat. Opponitur huic Athenæil. 3. c. 18. θεατρον ἀνεκκλησιασον h. e. theatrum, conventibus publicis & spectatoribus destitutum.

Etymologia
vocis Eccle-
siae.

6. Vocis potestatem quod attinet: continet illa partim diversas significationes, partim etiam distinctiones.

Vocis Eccle-
siae potestas.

7. Significationes 4. in genere numerari possunt: Primum sumitur latè & politicè, pro quovis civili hominum cœtu. Quo pacto Thucydides l. 1. inquit καθισέναι ἐκκλησίαν, conveniūt cogere: & è contrario Zosimus l. 2. λύειν τὴν ἐκκλησίαν solvere conventum, sive dimittere concionem. Act. 19. v. ult. ἀπολύμνην ἐκκλησίαν. Sic ibid. v. 32: Erat δὲ ἐκκλησία συγχυμένη concio confusa.

Significa-
tiones varia-
biles Eccle-
siae.

8. Deinde spiritualiter tribus modis: I. strictè pro piorum tantum multitudine, Act. 20, 17, 28. & 1. Tim. 3. 15. II. Strictius pro Senatu Ecclesiastico, Matth. 18, 17 quia cogitur is nomine totius Ecclesiæ, cui præst; à Paulo vocatur Presbyterium, 1. Tim.

2.

4. III. Strictissime profamilia fidelisive domesticâ Ecclesia, Rom. 16. 5.

3.

9. Tertiò sumitur communiter pro cœtu sacro, sive unius provinciæ, sive fidelium per totum terrarum orbem dispersorum, in quo cum hypocritis verè pij in hisce terris mixti sunt, 1. Cor. 11, 16, 22. Vulgò dicitur Ecclesia visibilis.

3.

10. Quartò Catachresticè accipitur pro falsa Ecclesia, quæ Ecclesia malignantium dicitur, Psal. 26, 5. quæ est conventiculum & conspiratio contra Christum & ejus membra.

Distinctio-
nes & divi-
siones Eccle-
siae.

11. Cæterum quidam etiam hoc loco, distinctiones sive divisiones annotandæ sunt. Rectè distinguitur in universalem & particularem.

A. 3

12. Ec-

Ecclesia u-
niversalis.

Particula-
ris

Ecclesia Mi-
litans.

Trium-
phans.
Visibilis: In-
visibilis.

Quod sit
Ecclesia.

12. Ecclesia universalis est populus Dei, qui ubique lo-
corum ab initio mundi ad ejus usque finem colligitur ob du-
plicem rationem, ut infra audiemus. 1. Cor. 1, 2. Græcè dicitur
καθολικὴ seu Catholica.

13. Particularis est: 1. quæ in certo loco Rom. 16, 16. nempe
in una aliqua provincia, Act. 9, 30. 2. quæ in singulis oppidis,
Act. 14, 22. Tit. 1, 5, 1. Cor. 1, Apoc. 1, 11. 3. quæ intra privatas ædes
Rom. 16, 5. colligitur.

14. Universalis Ecclesia subdividitur in Militantem &
Triumphantem.

15. Militans Ecclesia est, quæ hisce in terris sub signis Chri-
sti adversus Diabolum, mundum & carnem, fortiter dimicat
Job 7, v. 1. Eph. 6, v. 12.

16. Triumphantis est, quæ partâ victoriâ, in cœlum recepta,
Deum perpetuò celebrat, Apoc. 19, 1.

17. Militans subdividitur in Visibilem & Invisiblem; de
qua divisione etiam paulò post.

18. Hoc loco potissimum quæstio est de Ecclesia universa-
li adhuc militante & visibili: quæ ut à cætibus prophanis dis-
cernatur, dicitur Ecclesia Dei, Act. 20, 28. Et ad discriminem Ec-
clesiae veteris Testamenti, quæ etiam Mich. 2, 5. dicitur *πόλις*: in Novo Testamento, & præsertim in Epistolis Paulini
dicitur Ecclesia Christi, Rom. 16, 16.

19. De hujus igitur agendum est partim natura, partim re-
quisitis.

20. Natura explicatur partim quæstione *An sit?* partim quæ-
stione *Quid sit.*

21. Priorem igitur quæstionem quot artinet; Ecclesiam esse
liquet. Ut autem illam totum mundum constituere, adeo que
quemlibet in sua fide ac religione salvari posse (ut quidē non-
nulli impiè delirant) pernegamus: ita quoq. Platoniam quan-
dam civitatem nobis minimè imaginamur: verū cum Apo-
logia Augustana confessionis statuimus, existere Ecclesiam,
nempe aliquos verè credentes ac justos, sparsos per totum ter-
rarum orbem.

22. Id

22. Id quod immotis scripturæ testimoniis constat. *Esa. 55.10.*
Si ut descendit imber & nix de cœlo, & illuc non revertitur, sed inebrat terram, & germinare emficit: sic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo: non revertetur illud vacuum, sed faciet, quæcumque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. Et c. 59, 21. Hoc est fœdus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore semini tui amodū usq; in æternum.
23. Posterior quæstio; quid sit explicatur partim definitio & divisione, partim epithetis & notis veræ Ecclesiæ.
24. Definitio primum proponenda: deinde resolvenda & explicanda est.
25. Est igitur Ecclesia cœtus hominum audientium verbum Dei & rite utentium Sacramentis, à Christo institutis.
26. Resolvitur definitio data in Genus & differentiam. Genus est cœtus sive congregatio: Ita enim & in Veteri & in novo Testamento denominatur & describitur.
27. Quia enim semper ab origine mundi usque ad nostra tempora eadem fuit, quoad formā essentialē, unum idemq; nomen & descriptionem in utroque Testamento obtinuit.
28. Hinc in populo Judaico veteris Testamenti dicebatur עֲרָה *Eda Gen. 12.* aut שְׂנִיר *ahal. Psal. 22. Levit. 8. v. 3. & 4.* & utrumq; congregationem sive cœtū significat. Differunt autem in hoc, quod prius convocationem significat, quæ voce humana fit, licet nullum locum certum conveniendi habeat: posteriorius vero talem cœtum; qui ad certum locum tempusq; indicitum, ad certam rem transigendam conveniat. *Videatur Arendius in Lexico.*
29. Septuaginta interpretes Hebræa illa vocabula reddiderunt συναγωγὴν: quod etiam D. Jacobus c. 2. v. 2. retinuit, dicens: *Si introi ut eis τὴν συναγωγὴν ὑμῶν vir &c.*
30. Genus verò hoc passim habetur in Psalmis, qui publicorum cœtuum creberrimam mentionem faciunt, & quidem præcipue *Psal. 40. v. 9. & 10.* *Annuncabo iustitiā* שְׁנִיר *in cœtu multo: in der grossen Gemeine / ut*
Lutherus

*Ecclesia in
in genere
quid sit.
Genus Ec-
clesiae est cœ-
tus sive con-
gregatio.*

Lutherus reddidit. Et Psal. 111, 1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo in concilio iustorum קָרְבָּן & in cœtu (congregatione.)*

Ecclesia est
cœtus evo-
catus.

Efficiens
causa est
Deus.

Differentia
specificæ.

Fundamen-
tum Eccle-
siae.

Fundamen-
tum Mini-
steriale.

Fundamen-
tum princi-
pale.

31. Deinde circa genus hoc notandum, quod Ecclesia non sit cœtus, sed cœtus evocatus sive convocatus. Rectè enim Augustinus in initio epistolæ ad Rom. Ecclesia ex vocatione dicta est. Estque aliquid εὐΦῶστεως in Græco verbo ἐκκαλεῖσθαι evotari, quod segregationem conjungit congregationi, ut ita Ecclesia dicatur cœtus segregatus, quem Dominus singulariter ex genere humano evocet & colligat.

32. Tertiò innuit genus hoc caussam efficientem sive autorem, qui est solus Deus, Ecclesiam tum colligens, tum conservans.

33. Colligit verò non clandestinis raptibus, ut Enthusiastæ somniant; sed ministerio verbi seu prædicatione Evangelij: & conservat usu legitimo Sacramentorum à se institutorum.

34. In quibus consistit differentia specifica continenturq; infallibiles veræ Ecclesiæ notæ, quibus à reliquis cœtibus omnibus dignosci queat. De his paulò post.

35. Quartò involvitur quoque hic fundamentum Ecclesiæ quippe sine quo, cum domus sit spiritualis 1. Pet. 2, 5. esse nequit.

36. Fundamentum illud duplex est: Ministeriale & Principale.

37. Ministeriale sunt Prophetæ & Apostoli. Hinc respetu hujus dicitur Eph. 2, 20. Ecclesia extructa super fundamentum Prophetarum & Apostolorum. Hinc Apoc. 21, 14, civitas Dei non unum, sed duodecim fundamenta, in quibus erant scripta 12 nomina Apostolorum Agni. Hinc porrò Jacobus, Petrus & Johannes vindicentur esse columnæ Ecclesiæ, Gal 2, 9. Quod ministerio suo Ecclesiam & religionem sustinebant & fovebant, existente interim imo angulari lapide suo Jesu, qui totum ædificium solus rectè dicitur sustentare, Eph. 2, 21. & 23.

38. Principale est ipse Christus. Quandoquidem super hunc solum fundata est Ecclesia, quando solus statuitur pro sapientia, justitia, sanctitate, vita & gloria æterna fidelium. Atque hoc

versus I

hoc est, quod Paulus i. Cor. 3, ii. ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus.* Et apud Isa. 28, v. 16. vocatur Christus *lapus fundamenti.* Quod Christi ita proprium est, ut cum nullo alio communicari queat.

39. Quod enim Christus dicit ad Petrum: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam:* nihil facit pro Pontificiis. Quandoquidem hic non ait Dominus, quod supra Petrum velit ædificare suam Ecclesiam, sed super petram. Petrus vero erat pars ædificij, à petra, cui ædificium innititur, nominis & personæ mutatione & terminationis discrimine manifestè distinctus.

40. Non igitur super Petrum Apostolum, quæ mox, sæpiusq; lapsus est ædificata est Ecclesia: sed super petrā. Petra vero erat Christus i. Cor. 10, 4. Quem Christum & quam petram, omnium nomine confessus erat Petrus Matth. 16, v. 16. & 18. Et claves, quas hic v. 19. sub nomine Petri promittit, dedit postmodum omnibus Apostolis æqualiter, & sine distinctione Matth. 18, 18. ut & in persona eorum omnibus ministris Ecclesiæ.

41. Nihil etiam Pontificij inde concludere possunt, quod ter repetat ad Petrum: *Pasc oves meas:* id enim ob trinam ab negationem factam esse nemo inficiabitur, Iob. 21, 17. Ut enim hic Petro dicit: *Pasc oves meas:* ita idem omnibus Apostolis injungit his verbis: *Ducete omnes gentes,* Matth. 28, 19. item illis: *Sicut me misit pater; ita ego mitto vos,* Joh. 20, 21. Ut igitur hisce mandatis & dictis omnes Apostolos; ita & illis Petrum pastorem gregis, non Pontificem quendam sumimum & terrenum Deum constituit.

42. Dividi porro potest Ecclesia, in Vocatorum & Electoram. *Divisio Ec- clesie.*

43. Ecclesia Vocatorum, definiens Hafnreffero, est cœtus audientium verbum Dei, & utentium Sacrementis, institutis à Christo: in quo omnes non resistentes Spiritui S. regenerantur, & unico capiti Christo inseruntur per prædicationem verbi & Sacramentorum usum.

44. Dicitur etiam Ecclesia hæc visibilis, item mixta: *Visibilis;* *Dicitur hæc Ecclesia visibilis;* quia est cœtus aliquis externus, qui communiter verbum Dei per

B

Ecclesia non supra Pe- trum ædifi- cata est.

Ecclesia Vo- catorum,

„

„

„

„

„

præ se fert, & veram religionem profiterur, ministeriumq; co-
lit & reveretur.

Item Mix-
ta.

45. *Mixta* vocatur: quia in hoc cœtu pii simul & impii, ve-
ste nuptiali induiti, & eadem carentes continentur *Ier. 5, 26.*
Ezech. 33, 31. Matth. 13, 25. Unde dictum est in definitione, *quid
non resistentes, Spiritui S. tantum regenerentur.* Hypocritæ enim &
impii licet in hoc cœtu sint; regeneratio tamen ad illos nihil
attinet.

46. Hanc quoque ob mixtionem membra quædam mor-
tua, putrida, & foras ejicienda, in Ecclesia esse dicuntur.

47. Mistio hæc pios non lædit, aut Ecclesiam reddit infamem;
sed exercet, magisque ob divinam clementiam com-
mendat.

Ecclesia E-
lectorum.

48. *Ecclesia Electorum*, eodem Hafenreffero definiente, est
cœtus verâ fide amplectentium verbum Dei, & utentium
Sacramentis divinitus institutis: quibus regenerantur, per fi-
dem Christo capite inseruntur, & ab eodem vivificantur, san-
ctificantur, glorificantur.

In visibilis
Ecclesi.]

49. Ut illa dicebatur visibilis & mixta: ita hæc invisibilis
& pura.

50. *Invisibilis* quidem: Nostra enim cognitione à cæteris,
qui illis admiscentur, discerni non possunt: Fides enim est in-
visibilium: *Et firmum fundamentum stat, habens signaculum hoc:*
COGNOVIT DOMINUS, qui sunt SVI.

Pura di-
tur.

51. Non igitur invisibilis, dicitur quod membra ejus cum
externo ministerio nihil habeant commercii nam eo respectu
omnino visibilis est: in externo enim visibili Ecclesiæ cœtu Ele-
cti versantur, atque externo verbi Sacramentorum utuntur
ministerio; sed quod individua ejus membra hominibus inco-
gnita; solius verò Dei oculis exposita sint, *1. Reg. 19, v. 14.*
& 18. Rom. 11, 2. & seqq. Ioh. 12, 14. 2. Tim. 2, 19.

52. *Pura* dicitur: quia est sancta illa sanctorum communio
inde à restituto genere humano continuata in vero Dei timo-
re, fide in Christum, & vero sinceroque amore constanter per-
severans.

53. Pura

53. Pura est inquam : sed ita, ut hac vita nœvis omnibus non
careat, sed peccata non modò conspicua, verùm & latentia, quæ
à solo Deo cernantur, habeat.

54. Omnia verò hæc merito Christi tecta sunt & expiata,
ut sanctitas & puritas illa nihil minus constet.

55. Quæ igitur ejusmodi Ecclesiam quærunt, in qua nulla
sit iniquitas, ij vix unquam à desperatione sese liberare pote-
runt.

56. Quandoquidem extra Ecclesiam salus est omnino nulla.

57. In quam cum se non conjiciant, perdentur prorsus.

58. Malum verò & vitium, quod in Ecclesia est, ad Ecclesi-
am non pertinet, sed ab ea discernendum.

59. Hinc Ecclesia inter malos & veritatis hostes salva esse &
pura potest, ut vicissim in ipsa Ecclesia, sæpè non tantum impij
delitescant, sed etiam terum potiantur, & aliis profint.

60. Sic in Antichristi Rōmani regno vera semper Ecclesia
fuit, nec unquam articulus hic falsus creditus, quo fatemur
nos unam apostolicam Ecclesiam Catholica credere communionem
sanctorum.

61. Papa verò licet in illa Dei Ecclesia gubernârit, sum-
mumque locum obtinuerit: tamen Ecclesia non fuit Papatus:
sed latuit in Papatu. Antichristi tyrannide oppressa & tenebris
obscurata densissimis, adeoq; verè invisibilis: non aliter atque
Israëlitica Ecclesia post defectionem Jeroboami, præcipue tem-
poribus Achabi fuit in apostatica & falsa Ecclesia quæ vitulos
in Dan & Bethel colebat.

62. Manifestum est inde Ecclesiam visibilem & invisibilem
non oppositas, sed subordinatas esse: cùm invisibilis contine-
tur sub visibili congregazione vocatorum. Horum enim Ec-
clesia latior est: multi quippe votati; pauci verò electi.

63. Cæterum Ecclesiæ epitheta vel sunt primaria; vel secun-
daria.

64. Primaria potissimum 4. enumerantur: Quod sit una pitheta
sancta Ecclesia Catholica & Apostolica.

In Anti-
christi re-
gno semper
vera fuit
Ecclesia.
Papatus
non fuit
Ecclesia.

Ecclesia
visibilis &
invisibilis
subordi-
nata.

Ecclesiæ E-
pitheta
primaria.

Sancta.

Sancta quo-
modo sit Ec-
clesia.

1. Imputa-
tive.

2. Qualita-
tive.

65. Una est utriusq; Testamenti Ecclesia, accidentibus tan-
tum distincta, non discriminata formis, & essentialibus pro-
prietatibus.

66. Una autem esse debet: quia unus est spiritus, una spes
vocationis, unus Dominus, una fides, unum baptismum, unus
Deus & pater omnium, Eph. 4.

67. Sancta est, ita quidem ut pura jam definita fuit: in sin-
gulis enim membris hac in terra circumfert malum ijsdem ad-
jacens, quod est peccatum, non tantum inhabitans illud origi-
nale; verum etiam actuale; quemadmodum Proverb. 24. v. 16.
docetur.

68. His verò non obstantibus, sancta tamen est Ecclesia to-
to corpore, ut nec ruga sit, nec macula in ea, Ephes. 5, 27. idq; du-
plici sanctitate: alterà perfectâ, quæ est imputativa; alterà in-
choatâ, quæ est qualitativa.

69. Illâ perfectissimè sancta dicitur Ecclesia, nempe elec-
torum, quia verè credentibus in Christum remittuntur & tegun-
rur peccata; imputatur enim justitia, & obedientia Christi.
Primum igitur quod remittitur & tegitur, id non imputatur:
Deinde, quia justitia & obedientia Christi illorum fit, non tan-
tum privativè, verum etiam positivè sancti censendi sunt.

70. De perfectâ hac sanctitate loquitur sacra scriptura mul-
tis in locis: Esa. 52, 1: Non transeat per sanctam Ierusalem incircumi-
sus & immundus. Ibid. c. 60, 21. populi omnes tui iusti. Psal. 45, 14.
Omnis gloria filii regis ab intus. Eph. 5, 25. Christus dilexit Ecclesiam,
& tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret. Col. 2, 10. Estis in
eo πεπληρωμένοι completi seu perfecti, qui est caput omnis imperii & po-
statis, in quo etiam circumcisi estis circumcisione, quæ fit sine manibus. I.
Joh. 1, 7. Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omnibus peccatis.

71. Inchoatam deinde sanctitatem, h. e. qualitativam, sed
in hac vita imperfectam, habent fideles: quia sanctitati stu-
dent: & purificati corda, magis magisque fidei virtutes, exe-
runt.

72. De hac loquitur scriptura Prov. 4, 18. piorum semita
est

est similis luci, quam aurora spargit. 2. Cor. 3, v. 18. Transformamur à gloria in gloriam, 2. Cor. 4, v. 16. Etiam si naturā homo corruptitur interior; tamen renovatur de die in diem. Eph. 4, 13. donec evadimus omnes in perfectum virum. Phil. 1, 6. Qui caput in vobis bonum opus, perficiet. Jac. 1, v. 18. Sumus initium creaturæ.

73. *Catholica* dicitur triplicem potissimum ob causam: *Catholica*

I. propter subjectum & locum: quia non uni duntaxat genti & loco est alligata, Act. 10, 35. sed per totū orbem est diffusa. Psal. 72, 8. Psal. 73, 2. & prædicatur Evangelium εν ὅλῳ τῷ κόσμῳ Matth. 26, 13. Psal. 18, v. 5. II. propter doctrinam catholicam, h. e. universalem, in qua consentit cum antiquissimis Ecclesiæ doctribus, patriarchis, prophetis, Apostolis. III. Catholicæ etiam dicitur: quia catholicum opponitur hæretico, ut videre est ex codice Imp. Justiniani, & Symbolo Athanasij.

74. *Apostolica* dicitur, & quidem in synodis Nicenâ, Constantopolitanâ I, & Ephesinâ I. non propter successionem loci, ur Pontificij garriunt: alias & Turcica dicenda esset Apostolica: sed propter fundamentum Prophetarum & Apostolorum, Eph. 2, 19: *Cives estis sanctorum & domestici Dei, super ædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Iesu Christo. Matth. 16, 18.* II. & quia perdurat in doctrina Apostolorum Act. 2.

75. Epitheta porrò secundaria quā plurima habentur in S. scripturis: I. dicitur *Domus Christi* seu *Dei viventis*. Psal. 23, 6. I. Tim. 3, 15. item *Familia*, Matth. 24, 45. quia Deus in medio fidelium habitat, Matth. 18, 20.

76. II. *Tabernaculum Dei*, Psal. 15, 1. quia in hac vita non habet fixam sedem, sed illam subinde mutare cogitur, donec recepta sit in veram patriam, nempē vitam æternam.

77. III. *Templum Dei*, I. Cor. 3, 16. propter inhabitantem Spiritum sanctum in cordibus fidelium.

78. IV. *Civitas Dei*, Psal. 46, 5. *Civitas fidelis* Esa. 1, 21. civitas sancta, de cœlo dependens Apoc. 21, v. 2. & 10. Est enim societas fidelium, qui ex solius Dei, tanquam summi Legislatoris

B 3

summo

Epitheta
secundaria
I. *Domus*
Christi &
Dei viven-
cis.
Tabernacu-
lum Dei.

3. *Templum*
Dei.

4. *Civitas*
Dei.

- summo imperio pendent, verbo ejus legibusq; reguntur, ijsdem
beneficiis & privilegiis Christi fruuntur.
5. **Grex ovium**
6. **Corpus Christi.**
7. **Nova Ierusalem.**
8. **Mons Domini.**
9. **Vinea.**
10. **Genus electum.**
11. **Communio sanctorum.**
12. **Amica.**
13. **Mater fidelium.**
14. **Columna & fundimentum veritatis.**
An Ecclesia possit errare.
79. V. **Grex ovium & ovile Christi**, quod ejus vocem audit,
Luc. 12, v. 32. Ioh. 10, 16.
80. VI. **Corpus Christi**, Eph. 1. v. ult. nempe cuius caput &
anima est ipse Christus.
81. VII. **Nova Ierusalem**, Apoc. 3, 12. Gal. 4, 26. Sion *Psal. 2,*
6. **Regnum cælorum**, Matth. 5, v. 19. & 20. **Quia non est regnum**
mundanum, sed cœlestē & spirituale.
82. VIII. **Mons Domini**, sive Mons sanctitatis, *Psal. 2, 6. Psal.*
3, 5. *Psal. 14, 3. Psal. 15, 1.* **Quia doctrina Ecclesiæ neque potest**,
neque debet abscondi, *Matth. 5, 14.*
83. IX. **Vinea Psal.** 80, 9. *Ef. 5, 2. Matth. 21, v. 33. Ioh. 15, 1.* **Quia**
Dominus eam plantat, & studiosè excolit verbo suo & donis
Spiritus sancti.
84. X. **Genus electum**, regale sacerdotium, gens sancta, popu-
lus quem Deus ut sibi proprium vendicat, *Ezod. 19, 6. Apoc. 1, 6,*
1, Pet. 25, v. 9.
85. XI. **Communio sanctorum**: quia Christi & omnium ejus be-
neficiorum particeps est, 1. Ioh. 1, v. 3. Rom. 12, 5. & 13. 1. Cor. 1, 9.
Eph. 4, 4.
86. XII. **Amica**, Soror & Sponsa Christi, *Cant. 4, v. 1. 7. 8. 9. 10.*
11, 12. Item Regina & filia Regis *Psal. 45, 10.* **Quia connubio verè**
spirituali & fœdere stabili, nec non certissimo spiritus nexu, ca-
stissimoq; amore Christo, sposo & capitî suo, conjuncta est.
87. XIII. **Mater fidelium**, Gal. 4, 26. **Quia filios Dei parit, &**
nutrit. Hinc tritum illud: *Nemo potest habere Deum patrem, qui*
non habeat Ecclesiam matrem.
88. XIV. **Columna & fundamentum veritatis**, 1. Tim. 3, 15. **Quia**
testimonium præbet veritati, nec non ministerio suo veritatem
sustinet, custodit, propagat, tuetur.
89. Estne inde concludendum: Ergò Ecclesia planè errare ne-
quit? Minimè gentiū. Distinguendū est inter errores: Quidam
directè pugnant contra cardinales Fidei Christianæ articulos,
quales sunt, de Deo, de Trinitate, de incarnatione filii Dei, &c.
- In

In ejusmodi articulis Ecclesia quatenus Ecclesia, vel ejus vera membra, quatenus vera sunt, errare non possunt. Si enim errant, & de errore admonita perseverant, neque Ecclesia amplius, neque membra veræ Ecclesiæ sunt. In aliis vero articulis, non directe de salutis fundamento tractantibus, potest Ecclesia vera, verumq; ejus membrum, errare ; verum admonita ad sponsam redit.

90. Potest id probari aliquot rationibus: 1. Quia in hac vita Ecclesia ad perfectionem pervenire nequit. 2. Quia Diabolus tanquam leo rugiens circumvit, querens quem devoret: & in angelu lucis transmutatus zizania seminat inter triticum. 3. quia ipse Apostolus Paulus testatur, quod super fundamentum, non tantum aurum, argentum & lapides pretiosi: sed ligna quoque fœnum & stipulae, h. e. errores exædificari possint. 4. Quia testatur perpetua historiarum series, quod Ecclesiæ sèpius in gravissimos errores sint prolapsæ; immò etiam illæ quæ plantatae fuerunt ab ipsis Apostolis.

91. Falluntur igitur sub specioso titulo Ecclesiæ & fallunt alios Pontificii, docentes, Romanam Ecclesiam ita esse columnam & firmamentum veritatis, ut quicquid statuat, etiam contra ordinationes & instituta Christi, hoc tamen non obstante, ipsa vera maneat Ecclesia omnis erroris expersa.

92. Nec obstat, quod Christus dicit, Matth. 24, 24. *Electos non duci posse in errores.* Quandoquidem 1. loquitur Christus de ejusmodi erroribus, qui salutis fundamentum evertunt. 2. de illis hominibus, qui in fide perseverant & salvantur; qui vel nullo modo in ejusmodi crassissimos & horrendos errores inducuntur: vel si omnino contingat, ut inducantur, non tamen in illis perseverant finaliter. Sed de quæstione hac specialius & fusius agetur in disputatione sequente.

93. Ceterum restat, ut de notis veræ Ecclesiæ partis agamus. Ubi initio notandam, veram & propriam rei notam sive *tenet nos* 3, requirere conditiones: 1. ut habeat veritatem in re. 2. ut veritatis hujus evidentiam sensui exhibeant. 3. ut utriusque immotam & constantissimam necessitatem contineat.

94. Quas

Notæ veræ
Ecclesiæ.
Veræ notæ
conditio-
nes.

*Nota
verbum Dei
sincerum.*

*Error Pon-
tificorum*

94. Quas conditiones si recte observaverimus, facile intellegemus, notas, quas nos Ecclesiæ assignamus, verissimas esse: falsissimas contrà & nothas à Pontificiis illi tributas.

95. Notarum à nobis definitarum alia est primaria; alia secundaria,

96. Primaria nota alia est nota communiter, nempe verbum Dei sincerum; alia singularia Ecclesiæ membra notat, scilicet legitimus Sacramentorum usus.

97. Verbum Dei sincerum, verissimam veræ Ecclesiæ notam esse patet. Quandoquidem illud est instar tessellæ aut vexilli ex quo milites agnoscuntur, adeò ut quicunq; cœtus hoc signum præfert Christi auspiciis pugnarè intelligatur. Ex vexillo enim legionem; non ex legione vexillum agnoscimus.

98. Hinc falsissimum esse judicatur, quod hic occidunt Pontificij, verbum & ejus sinceram prædicationem non aliunde, quam ex Ecclesiæ testimonio nobis innotescere posse, ac propterea priùs Ecclesiam noscendam esse, quam verbum.

99. Concedimus quidem Ecclesiæ aliquod judicium: verum id tantum secundarium est instrumentarium: & nullo modo verum, nisi veritatem ex scriptura sive verbo Dei nanciscatur: ideoque non aliter, quam ex ipsa scriptura & Dei verbo judicat, docet, decernit, quicquid recte judicat, docet, decernit: Si igitur Iudicium Ecclesiæ est secundarium & instrumentarium; oportet sit aliud quoddam *αὐτὸν νύειον*, nempe spiritus veritatis, qui per verbum & in verbo nos dicit in omnem veritatem.

100. Deinde non volvitur quæstio inter Christianos: quæ qualisve sit scriptura, quam omnes fatentur divinitùs inspiratam, ideoq; omnibus modis divinam esse: verum id quæritur: Quæ qualisque sit Ecclesia, verè & propriè ita dicta, h. e. Dei sive Christi Ecclesia. Quocirca omnino necessarium est problema hoc per illud principium, nempe per verbum & scripturam sacram probari vel demonstrari.

101. Immò utut nobis sit contrarius Bellarminus: *convi-
ctus tamen in conscientia affirmare tandem & nobiscum dicere
cogitur*

cogitur, scripturam docere, quæ sint notæ Ecclesiæ, de notis Ec-
cles. c. i, § Ad loca Aug.

102. Ex quo ejusmodi colligimus consecutarium: Bellar- *Bellarmino*
minum non tantum verbum Dei concedere notam esse Eccle- *nus cogitur*
siæ: verum etiam largiri illam omnium notarum primam esse. *nobis cum*
103. Probo: A quo pendet notitia cæterarum notarum & *loqui.*

τεκμηρίων; id maximè nota est: At id, quod docet & docendo
monstrat veras Ecclesiæ notas, ab illo notitia cæterarum nota-
rum dependet. Quia igitur Bellarmenus concedit, quod ver-
bum Dei sive scriptura doceat, quæ sint notæ veræ Ecclesiæ:
concedat utiq; eam maximè notam, sive præcipuam notam
esse.

104. Cæterum in nota hac distinguendum est id, quod est *Verbū di-*
Dei, ab eo, quod est officii hominum. Verbum in se conside- *stinguatur*
ratum simpliciter divinum est, absolutam continens verita- *ab actu*
tem: prædicatio verbi est actus humanus: tandem sinceritas *prædicati-*
est actus hujus, nempe prædicationis ac professionis, modus. *onii.*

105. Primum simpliciter Ecclesiæ est necessarium: quando-
quidem sine verbo Dei Ecclesia non est Ecclesia, nempe quæ
est, ut audivimus suprà, cætus verbo divino evocatus: hoc
itaque nullo vel tempore vel modo ab eo potest separari.

106. Posteriora duo deberent quidem inesse de jure: sunt
enim conditiones à Deo mandatae; verum non semper insunt
de facto: neque tamen propterea statim interit tota Ecclesia.
Non enim statim perit actus primus, impedito vel suspenso a-
ctu secundo.

107. Quocirca licet quoad illa, quæ hominum sunt, nota hæc
aliás magis, aliás minus sit conspicua & floreat, ut ex historiis
Biblicis, præsertim verò ex statu religionis & Ecclesiæ sub re-
gibus Judæ & Israël apparer; & ante hæc tempora sub tene-
bris Babylonicis experientia ipsa satis luculenter edocuit: non
tamen est ipsa Ecclesiæ obscurior, ut blasphemi iterum Ponti-
ficij non absq; insigni in verbum Dei & ejus ordinationes bla-
phemia effutiunt.

2. Ecclesia
nota.

Legi-
tima Sa-
cramento-
rum admi-
nistratio.
Obiectio
pontificis
rum.

Nota Ec-
clesiae se-
cundaria.

108. Nam licet in officio hominum, h. e. in ministerio quædam obscuritas; non tamen illa totalis est: sed manet semper ubique & $\pi\alpha\theta\delta\lambda\gamma$ verum, ubi est veritas verbi divini, ibi est quædam Ecclesia; licet ejus membra hæreticorum tyrannide premantur & obscurentur, ideoque quoad nos invisibilia.

109. Alteram notam primariam singularia Ecclesiae membra notantem diximus legitimam secundum institutionem Christi Sacramentorum Baptismi & Cenæ Dominicæ administrationem. Hæc enim pura prædicatione verbi, tanquam illius appendix, conjuncta esse debet. Sunt enim Sacra menta visibile verbum, seseq; ad verbum simplex habent, sicut sigilla ad literas pacti.

110. Nullius est ponderis, quod objiciunt iterum Pontifici, Verbi prædicationem & Sacramentorum dispensationem non esse notas Ecclesiae; quod eius bona & dotes sint. Qualis enim hæc est ratio? Hæc cine sibi adversantur? Etiam in terminis rebus earum possessio ac usus nota est translati dominii, simulque fructus seu bo num.

111. Vel si terrena non placeant, sumatur ipsum fœdus Dei cum Ecclesia sanctum. Recte dici potest, quod hujus nota sit verbum sive scriptura, tanquam instrumentum authenticum Sacramentis tanquam certis sigillis obsignatum ac munatum? nihilominus ex legitima harum dispensatione ac usu ad possessores fructus redeunt uberrimi.

112. Inquis, posse nihilominus alias sectas etiam duas hasce notas sibi arrogare. Verum est: sed sibi aliquid arrogare, & revera habere, sive possidere, non idem, sed distincta sunt. Dilegenter igitur circumspiciendum & inquirendū, veréne an falso hasce notas aliqua congregatio & secta sibi vendicet.

113. Nota secundaria est disciplina Ecclesiastica. Quam secundariam dicimus: nam etsi in Ecclesia Dei sancta disciplina requiratur Matth. 18, 17. 1. Cor. 5, v. 5. si ramen hic Ecclesiarum rectorre in officio sint negligentes & cessent; non statim Ecclesia neganda est, dummodò duæ illæ fundamentales ac essentiales notæ visibilis Ecclesiae adsint. Obedientiam quoque erga ministrum



rium Pseudoprophetæ (Ier. 5, 31. 2. Pet. 2, 1. Es. 9, 16. Iuc. 6, 39.)
ut & gentilium sacrificuli, apud auditores suos obtinent, Ier.
2, 10, & II. Ezech. 5, 6.

114. Cæterum Bellarminus l. de notis Ecclesiæ 15. affert notas, quæ
numero strepunt, virtute non pugnant. Primam dicit esse ipsum
Catholicæ Ecclesiæ & Christianorum nomen. Verùm hoc nihil minus
quam nota dici potest: 1. Quia ex nominibus fit fallax, non vera
& *āmoderūnū rei demonstratio*. Habet enim denominatio hæc
id commune cum omnibus reliquis, quod sit *nātā turbānū*:
quippe in eorum, qui id imposuerunt, & usurparunt, voluntati-
te & potestate posita. 2. Quia si rem ipsam attendas nihil mi-
nus esse potest, quam nota. Neque enim τὸ ναθόλας, neque τὸ
χεισιάρος, in sensu incurrit.

115. Alteram notam facit Bellarminus *Antiquitatem*. Neque
hæc vera nota est: non enim est perpetua & propria quarto mo-
do: 1. Quia quæ nunc antiqua est Ecclesia, olim fuit nova. 2. quia
non omnis antiqua doctrina est Ecclesiæ doctrina: sic enim Je-
hova Ezech. 20, 29. *In statutis patrum vestrorum nolite ambulare;*
Ego sum Ichôva in præceptis meis ambulite. Et Cyprianus ait: *Con-*
suetudo sine veritate, retusitas erroris est. 2. quia antiquitas non est
sensu i exposita; proindeq; nihil notat.

116. Tertiam notam dicit *durationem diutinam*, nec unquam
interruptam. Planè eadem hæc est, cum antiquitate. Ut
igitur illa non est nota Ecclesiæ: ita neque hæc, conditio quæ-
dam est quam fide in ea ex Dei promissione agnoscimus; sensu
non percipimus.

117. Quartam notam constituit *amplitudinem sive multitudi-*
nem & varietatem credentium. Et hæc nihil minus est quam no-
ta, 1. quia non soli competit Ecclesiæ. Lata enim via dicit ad
interitum, & multi eam perambulant, Matth. 7, 13. 2. quia sæ-
pissime ab Ecclesia planè absuit, ut quando ea arcæ Noachi, aut
familia Abrahami angustiis includebatur. 3. Quia eadem, est
cum prima.

118. Quintam ait *successionem Episcoporum esse*. Neque
hæc est nota Ecclesiæ: 1. quia non magis Romanam, quam

Note Bel-
larmini.

1. *Ipsum*
Catholicæ
Ecclesiæ &
Christia-
norum no-
men.

2. *Antiqui-*
tas.

3. *Diutin-*
na dura-
tio.

4. *Ampli-*
tudo sive
multitudo
& varietas
credentii.

5. *Succes-*
Episcope-
rum.

Æthiopicam notat Ecclesiam. 2. quia non est perpetua, nempe quæ in primordiis Ecclesiæ non reperitur. 3. quia neque successio valet, ubi non est fidei & doctrinæ successio. Non enim sunt filii sanctorum, qui tenent loca eorum, sed qui faciunt opera eorum, 4. Quia successio neque ad unam sedem, neque ad unum locum, neque ad unam Ecclesiam alliganda est: Deus enim variis in locis, prout ipsi placuerit, excitare potest pastores. 5. quia Apostolis succedunt, qui legitimè vocati munere suo in Ecclesia fideliter funguntur, etiamsi non continuata ab Apostolis serie. 6. Quia in statu Ecclesiæ desperato solet Deus ministros excitare extra ordinem. 7. Quia non ex personis fidem, sed ex fide personas probari oportet, ut loquitur Tertullianus I. de præscriptionibus. Et Ambrosius I. i. de Pœnit. c. 6. ait: *Non habet hereditatem Petri, qui filium Petri non habet.* 8. Quia successio illa, quam Bellarminus & Ponficii, reliqui urgent, non est alia, quam quæ tyrannus regi, lupus pastori, nox diei, morbus sanitati, mors vitae succedere dicitur.

6. Conspi-
ratio in
doctrina
cum Eccle-
sia anti-
qua.

7. Unio mē-
brorum in-
ter se &
cum capi-
te.

119. Sexta nota Bellarmino est *conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua*: quæ si intelligatur de doctrina à Deo tradita; coincidit cum notâ primâ nostrâ, veraque & essentialis in præcedentibus est asserta & probata. Verum sic deserit suam sententiam Bellarminus & asserit nostram; ac contrâ quod antea pugnabat, id modò defendit. Quam aptè verò nota hæc Ecclesiæ Romanae conveniat, universæ ejus traditiones egregiè testantur.

120. Septimam notam constituit *uniō nem̄ membrorum inter se & cum capite*. Neque hæc vera nota est: 1. Quia universalis est omnibus, quæ sunt, competens: *Quicquid enim est, eo ipso quod est, unum esse, etiam extra Theologiam scitur.* 2. Quia illa tantum unitas est verum Ecclesiæ attributum, quæ est cum fide ex vera doctrina conjuncta, *Eph. 4, 3.* 3. Quia ut est Ecclesia Dei una: sic & Diaboli una Babylon, ut ait Augustinus. 4. Quia & pii in aliquibus possunt dissidere. *Act. 11, 2.* 5. Quia Ecclesiæ quidem, ut corporis, cum Christo, ut capite, unio concedenda est: cum Papa verò (quam Pontificii intelligunt) haud alia, quam cor-

poris



poris cum strumia aut carcinomate conjunctio est afferenda.

121. Octavam notam adfert sanctitatem doctrinae. Quae prorsus eadem est cum sexta; augens numerum numerantem; non rem numeratam.

122. Nona nota à Bellarmino ponitur efficacia doctrinae. Neque hæc est vera nota: quia falsis quoque doctrinæ maxima inesse potest efficacia. Hinc Apostolus 2. Thes. 2, 9. ait: *Venturum esse Antichristum, secundum efficaciam Satanae & Deum missurum efficacitatem erroris, non diligentibus veritatem, ut mendacio credant.* 2. Deinde si omnino verà nota Ecclesiæ concederetur: minimè tamen competet illa Romanæ: Quandoquidem doctrinæ Pontificiæ efficacia non in spiritus, sed in carnicis gladio, non in fidei persuasione, sed in perfidiæ imperatione posita est.

123. Decimo loco additur sanctitas autorum & patrum religionis. Neque vera nota est: quia non sanctitas doctrinæ; sed doctrina sanctitatis testis est: nam etiam Satanæ se in angelum lucis scit transformare; & vera sanctitas à verà fide profluit, 2. Cor. 11, 14. Att. 15, 9. fides verò ex auditu: auditus ex verbo Dei. Si igitur angelus aut sanctus aliquis de cœlo descendat, & veram doctrinam non adferat, respuendus est, Gal. 1, 8. Inquis: Dicere nihilominus Christum de pseudoprophetis: *ex fructibus cognoscetis eos*, Matth. 7, 20. Id nihil nostræ derogat sententiæ. Dicunt enim illud omnes patres de falsis dogmatibus & falsis interpretationibus intelligendum esse orthodoxe statuunt. 2. quia non tam nota Ecclesiæ quam hominum singularium sive personarum, in vita hujus stadio currentium, indeque abeuntium, Ecclesiæ interim stante ac permanente. 3. quia si ad primos patres nota hæc restringatur, nota non est: in sensu enim non incurrit; & si referatur ad Ecclesiam Romanam, tum in ea non magis hodie apparet, quam primi illi patres.

124. Undecima nota Bellarmino est, *Gloria miraculorum.* Atque hæc nota non est. 1. quia non est essentialis Ecclesiæ, sed accidentalis doctrinæ nota. 2. quia etiam miracula ex doctrina judicanda sunt, non doctrina ex miraculis. 3. quia deficientibus

8. Sancti-
tas doctrinæ.

9. Efficacia
doctrinæ.

11. Sancti-
tas autorū
& patrum
Religionis.

11. Gloriæ
miraculo-
rum.

miraculis non statim deficit Ecclesia. 4. quia neque omni Ecclesiæ, neq; soli convenit: mittendi enim nonnulli sunt in infernum, qui miracula fecerunt in nomine Christi, Matth. 7, 23 & ipsa Antichristi synagoga miraculis sese venditat. 5. quia miracula sunt extraordinarium quid, Extraordinarium verò quomodo erit Ecclesiæ nota ordinaria?

12. Lumen
Prophetici-
cum.

13. Confes-
sio adver-
sariorum.

14. Infe-
lix exitus
hostium
Ecclesiæ.
15. Felici-
tas tempo-
ralis de-
fensorum
Ecclesiæ.

Errores fu-
giendi.

125. Duodecima nota Bellarmino est *Lumen Propheticum*. Et hæc vera nota non est: 1. quia non est perpetuum illud lumen sive donum. Israhel enim c. 2, 18. non universum Ecclesiæ statum, sed duntaxat illum prædictum & describit, qui futurus erat Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ temporibus Act. 17, 18. 2. quia non est proprium soli Ecclesiæ. Nam Dæmones quoque & falsi doctores possunt futura prædicere, 1. Sam. 28, 19. Deut. 23, v. 2. Num. 23, 7 & 24. Ioh. 11, 51.

126. Decima tertia est *confessio adversariorum*. Quæ profectò incertissima & obscurissima, immò nulla nota est. Quando quidem quid magis contingens & fortuitum, quam adversariorum testimonium? cujus accessione nihil additur, decessione nihil detrahitur Ecclesiæ.

127. Decima quarta est *infelix exitus seu finis eorum, qui Ecclesiam oppugnant*. Et hæc admodum incerta est. Non enim semper in hoc seculo infelices sunt impii, sed contrarium *ἐπὶ τὸ πολὺ* concludere licet ex scriptura, Luc. 19, 25.

128. Ejusdem notæ ac *νόμιμα* est nota ultima. *Felicitas temporalis, divinitus collata iis, qui Ecclesiam defenderunt*. 1. quia pii potius sub cruce sunt in hac vita. Est enim crux tessera quædam, quâ suos Dominus vult notari, ut fiant conformes imaginij Filii ejus. Rom. 8, 28. 2. Tim. 3, 12. 2. quia felicitas temporalis Ecclesiæ potius adversa esse solet; ut id ex allegatis locis intelligitur.

129. Cæterū damnamus subsequentes errores: 1. *Pontificoru* qui 1. Catholicæ Ecclesiæ nomen ac dignitatem soli Romanæ attribuunt, atque ita orbem urbi includunt. 2. Idem Ecclesiæ nomen ad solos Episcopos, immò plerunque ad solum & unum Romanum Pontificem, tanquam Ecclesiæ caput, restringunt.

3. Eccle-

3. Ecclesiam in regnum civile, quod seculari opus habeat brachio, & in Monarchiam totius orbis terrarum supremam transformant, in qua summus Monarcha sit Papa Romanus, habens potestatem in doctos & indoctos, in laicos & clericos, in omnē magistratum supremum & infimum omnesque subditos.
4. Verbum Dei Ecclesiae, non Ecclesiam verbo subjiciunt. 5. Doctrinas & mandata hominum fundamentum Ecclesiae statuunt.
6. Ecclesiae unitatem non in fide & spiritu, sed in sola externa fidei professione, & Sacramentorum usu sub Pontificis regimine, constituunt. 6. Omissa essentiali Ecclesiae formā exterrā dūntaxat & accidentariam inculcant. 7. pro notis Ecclesiae propriis, aut communia obtrudunt accidentia, aut ejusmodi attributa, quae nunquam in Ecclesia Romana comparent.
8. Christianis, qui in Græcia, Armenia, Moscovia, Aethiopia & aliis regionibus pontificem pro Episcopo universali totius orbis non agnoscunt, Ecclesiae nomen adimunt. 9. Omnes infideles, atheos, magos, imò quosvis seeleratos, modò Pontificem agnoscant, Ecclesiae suæ includunt, digna sanè ejusmodi capite membra, & tali harā Epicuri, porcos. 10. Ecclesiam aliquam in purgatorio, id est, nostro iudicio, in Utopia, constituunt.

130. Deinde quorundam fanaticorum, qui sine Christo aut verbi notitiā Ecclesiam consistere posse, somniant, ac proinde Socratem, Aristidem & alios consimiles Ethnicos ob virtutes Ethicas inter veras Ecclesiae cives numerant.

131. Tertiò Schyvenckfeldianorum, qui nunquam coēentes, Ecclesiam, quippe quae cōcētus & congregatio est aliqua, funditus tollunt.

132. Quartò Catharorum, Novatianorum, Audianorum, Pelagianorum, qui eam veram esse negant Ecclesiam, ubi mali bonis admixti reperiuntur; atque ita peccatoribus nullum ne in invisibili quidem Ecclesia locum relinquunt. *Vide Epiphanius. Heres. 59. de Donatistis & Novatianis.*

2.

3.

4.

133. Quintus

5. 133. Quintò eorundem Donatistarum & Pepuzianorum,
qui Ecclesiam certo loco alligant: quibus etiam annumerari
possunt (ut patet ex præcedentibus) Pontifici: Nam et hi Ca-
tholicam Ecclesiam non soli verbo, sed certo loco, putâ urbi
Romæ, Papæ & Episcopis alligant.
6. 134. Sextò eorum, qui unum quemque in suâ religione ser-
vatum iri somniant; cùm extra unicam illam Ecclesiam catho-
licam non sit salus.
7. 135. Septimò Platonicorum, qui Ecclesiam omni penitus tem-
pore invisibilem esse: & è contrario eorum, qui eam in hisce
terrîs æquè visibilem semper fuisse opinantur.
8. 136. Octavò & ultimò damnamus omnium infidelium con-
ventus, qui Propheticam & Apostolicam doctrinam.
Christumque ipsum rejiciunt &
perseguuntur.

F I N I S.



99 A 6935





3

T4 → 0c



Farbkarte #13

B.I.G.



27